

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri  
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta  
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Vitvlvs.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

voles; ego vero moderabor tuo ori et ejus; præmonstraboque, quid sit vobis faciendum. Ipse alloquetur populum pro te, eritque tibi pro ore, tu ei pro Deo. Feres etiam manu istam virgam, qua edes portenta. Abi sane.

## SENTENTIA.

*Deus voce balborum dejicit hostes suos. Debet eloquentia servire pietati.*

## VITVLVS. Exodi 32.

## ARGUMENTVM.

Moses pacat Jovam iratam Israelitis ob aureum vitulum, ipse poenas illis irrogat,

*Jova, Moses, Josua, Aaron. Levitæ.*

**A**bi, descende. Jam enim depravati sunt populares tui, quos eduxisti ex Ægypto. Deflexerunt cito de via, quam docueram: duxeruntque sibi ex auro vitulum, quem adorant, cui sacrificant: dicuntque Deum esse, a quo sint educiti ex Ægypto. Video sane populum esse intractabilem, & refractarium. Quamobrem sine me ut irascer, conficiamque eos, deducamque ex te gentem magnum. *M. a)* Cur exardeas ira in tuos, quos eduxisti ex Ægypto magna vi, manuque valida? *b)* an ut jacent Ægyptii, educatos a te malitiose, ut deleres eos in montibus ad internecionem, prorsus tolleres e medio? Quin omitte istam tuam iracundiam: atque ita ut decet, remitte

a) Pii orant pro sacerdotibus.

b) Vult Deus etiam apud alienos, non male audire.



## 44 DIALOG. SACRORUM

mitte hanc noxam populo. Memineris Abrahāmi, Isaaci & Israelis, cultorum tuorum, quorum posteritatem juraſti te multiplicaturum ad numerū stellarum, daturumque ei terram illam, quam possideat in æternum. *Io.* Jus oras: heim remitto. *M.* Facis ut te dignum eſt. Ego vero deſcendo de monte cum his duabus tabulis. *Ios.* Quem clamorem audio: pugnatur in caſtris. *M.* Non eſt iſte clamor urgentium vi, aut terga vertentium: ſonum audio cantantium. - Sed accedamus. Hei mihi, quod flagitium video? <sup>c)</sup> totus, totus iracundia ardeo; valeant tabulæ. Ah frater, frater, quid tibi fecit hic populus, ut eum obligares tanto ſcelere? *A.* Ne iraſcere, domine, Tute noſti hunc populum, quam fit perversus. Cum flagitarent a me, ut facerem ſibi Deos, qui præirent eis, (ſeſe enim nescire, quid accidiffet iſti Moſi, a quo eſſent educti ex Ægypto) iuſſi, ut quod quis haberet ornamenti aurei, detraheret ſibi, & afferret ad me: quod etiam fecerunt: id ego immiſi in ignem, unde effectus eſt hic vitulus. Itaque vides eos nudatos ornamentis: id quod ideo feci, ut eos notarem ignominia apud hostes. *M.* Video. Nunc ſi quis a Jova ſtat, huc ad me. Bene habet, convenerunt omnes Levitæ. Agite nunc viri fortes, accommodate ſuum quiske enſem lateri, ite per tota caſtra: <sup>d)</sup> perimite ſuum quiske fratrem, amicum, proximum:

<sup>c)</sup> Pii peccatis graviflme offenduntur.

<sup>d)</sup> Sontes puniendo ſunt nulla habita personarum ratione.



ximum: nemini parcite. Nam ita jubet Jova,  
Deus Israelitarum. L. Ita fiet.

## SENTENTIA.

*Populus, si absunt boni magistri, facilissime labitur in gravissimos errores. Deus piorum precibus pacari se finet.*

## CONVERENTES. Num. II.

## ARGUMENTVM.

Populus voluptates Ægyptias desiderat,  
fastidiens cœlestem cibum. Et Jova con-  
querenti Mosi pollicetur, sese illis suppedita-  
turum carnem, sed ad pœnam.

*Populus, Moses, Jova.*

**U**tinam nunquam emigrassemus ex Ægypto.  
Quid enim agimus in hac vasta solitudine?  
Quis dabit hic nobis carnem, qua vescamur? Nam  
cum venit in mentem piscium, quibus immunes  
vescebamus in Ægypto, tum autem cucumerium,  
peponum, pororum ceperum, aliorum: conse-  
nescimus, nihil ante oculos habentes præter nescio  
quod manna. *M.* Hei mihi, quas querimonias  
audio? O Jova, cur ita mihi adversus, ita a me  
voluntate alienus es, ut mihi imposueris onus to-  
tius hujus populi? Nunquid ego populum hunc  
concepi? nunquid peperi? ut mihi jubeas eum  
ferre in sinu meo, quomodo fert nutrix alumnū,  
in terrā, quam jurasti majoribus ejus? Unde  
mihi carnes ad tantum populum, qui eas a me  
cum fletu flagitat? Non possum ego solus eum

susti-

